



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Laymann, Paul

Dilingæ, 1666

§. Quia verò.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

quæ in capite fieri solet ex antiquissima traditione. Quamvis Orientales tali cæremonia in consecratione suorum Episcoporum uti non soleant. Hoc intellecto, mandat Innoc. III. ommissam cæremoniam suppleri, & dictum Episcopum ab Episcopo Albanensi, assistentibus ei duobus alijs Episcopis (sicuti mos Ecclesiasticus requirit,) in manibus & capite sacro chrismate inungi.

NOTANDUM Vn. Si cæremoniæ, etiam accidentales, seu ad substantiam Sacramenti non pertinentes, ommissæ fuerunt, postea suppleri debent. Vide quæ dixi lib. 5. Theol. moral. tr. 2. c. 8. num. 10.

§. Scire.

DVplex est vñctio, Vna interior & inuisibilis, per Spiritum sanctum. Altera exterior & visibilis, quæ est signum interioris. Ipsa autem interior vñctio non tantum est significatum, sed etiam res Sacramenti. Ad exteriorem vñctionem benedicitur oleum, quod duplex est, Catechumenorum, & Infirmorum. Conficitur etiam chrisma ex oleo & balsamo, idque mystica ratione, quia per oleum nititur conscientiæ, per balsamum odor bonæ famæ significatur. Et hoc chrismate vngitur Episcopus in capite, & in manibus: in manibus quidem ad significandam potestatem consecrandi & benedicendi, in capite verò ad significandum supremam Episcopalis ordinis potestatem. Presbyter autem cum consecratur, in manibus vngitur oleo benedicto simplici, ut Hostiensis hic docet, n. 3. & Gl. in c. præterea 12. d. 23. Videri etiam potest Durandus lib. 1. rationalis, cap. 8.

§. Vnde.

REges quoque, Principes populi, inungi solent, aliter tamen, quam Episcopi, seu primi Sacerdotes: Nam hi in capite vnguntur chrismate; Reges autem in brachio oleo simplici.

§. Quia verò.

QVia Christus sanguinis sui effusione fidelibus omnibus promeruit, ut accepta Spiritus sancti gratiâ, quodammodo Sacerdotes sint, ex corde puro orationum sacrificia ipsi offerentes, secundum illud S. Petri epist. 1. c. 2. *Vos estis genus electum, regale sacerdotium*; ideo in nouo testamento omnes Christiani vnguntur, bis ante baptismum oleo benedicto, videlicet in pectore, & in scapulis, & bis post baptismum, chrismate sancto, videlicet in vertice; & postea in fronte, cum confirmantur.

§. Per frontis.

CHrismatione frontis manus impositio designatur, quæ alio nomine Confirmatio dicitur; quia per eam Spiritus sancti robur & augmentum confertur. Quamobrem hanc chrismationem solus Episcopus seu summus Sacerdos conferre potest, uti ex Actis Apostolorum, cap. 8. colligimus, alie autem vñctiones ab alijs etiam simplicibus Sacerdotibus ministrantur.

§. Vngitur.

Sed & altare, ecclesia, atque calices, cum consecrantur, inungi solent, secundum morem ecclesiasticum, quem ex S. Syluestro Papa accepimus, qui altare lapideum consecrans illud chrismate vngebat. Neque propterea iudaizat Ecclesia tales vñctiones adhibendo, sicuti imperiti aliqui obiecerunt. Nam Iudæi vñctiones per figuram, & significationem gratiæ futuræ exercebant: Nos autem in veritate, & secundum significationem gratiæ præsentis.

§. Licet.

Romanus Pontifex baculo pastorali non vtitur, sicuti alij Episcopi, & Prælati. Idque tum propter historiam, tum propter mylli-